

1585

A S C E T I C I.

1586

quod dolendum, membrana definit. Postica Descriptionem Mensium mutilam continet deficiente Martii initio, et fine Augusti. Initium nunc est: *apud hebreos mensis adat apud grecos vocatur dul-tum et habet XXX. dies. Nox eius habet horas 12. In mense enim marcio est equinoctium &c.* Menda multa occurrere etiam e pictura Miji discas: *Depingitur iuuenis equitans et egestans uoluntatem super manum. Lege gestans uolucrum; id enim antiqua Calendaria picturata docent.*

DCLXXIV.

R. 22 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 193. f. per duas columnas multis uocum compendiis exaratus, coloribusque distinctus Opus complectitur de *Proprietatibus Rerum* tacito Autore, qui est *Barth. de Glanvilla*, seu *Glaunville O. M. Anglus*, medio Sec. XIV. clarus, ut adeo Codex ejus aetatem adtingat. Prooemium, quod insit: *Cum proprietates rerum sequantur substantias, secundum distinctionem et ordinem substantiarum erit ordo et distinctio proprietatum &c.* Operis divisionem in XIX. *Libros* indicat, qui agunt de Deo, Angelis, Anima, Elementis, Corpore humano et deinceps omnibus Rebus creatis, quibus subdit Autor: *In istis XIX. libellulis rerum naturalium proprietates summatim et breuiter continentur, prout ad manus meas spice, que effugiunt manus metentium, pertingere potuerunt. In qui-*

bus de meo pauca uel nulla apposui, sed omnia, que dicentur, de libris authenticis sanctorum et philosophorum excipiens sub breui compendio compilauit. Porro *Εγκυκλοπαιδεια* hanc suam ita aeuo suo commendavit Noster, ut non tantum lingua latina extent uetustae Editiones, quarum longum Catalogum texere possis e *Maittaire*, meoque ad illum *Supplemento*, verum etiam in alias uersa fit, ut editio Belgica *Harlemi 1485.* Gallica *Lugduni 1487.* Hispanica *Tolosae 1494.* Anglica *Londini s. a.* quae mihi in Bibliotheca Palat. ad manum sunt, testantur. Germanicam adhuc quaero. *Codex* noster imperfectus a Librario destitutus est; deest enim L. XVIII. c. ultimum de *Vipera*, et totus Liber XIX. quanquam membranae superfuissent. De Autore agunt inter alios *Waddingus* in *Bibl. Ord. Oudin* T. III. col. 969. *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* p. 326. Olim audiebat passim *Bartholomaeus Anglicus.*

DCLXXV.

Codex membranaceus lat. ejusd. R. 479 Sec. Folior. 293. f. per duas columnas caractere crasso perscriptus, et coloribus illustratus aliud Exemplar est praecedentis Operis, illique in subsidium ueniens; continet enim extrema illa omnia, quae ibi deesse dicebam. Verum haud impune; nam Iconismi fortasse picturati causa abscictum est improba manu primum Folium, ita, ut nunc initium sit ab his L. I.

G g 2

c.